N.° Rep.° 1048.

Frater Antonius Busca

Armeniae Bajulivus, Sacrae Domus Hospitalis, Sancti Joannis Hierosolimitani et Militaris Ordinis S.ti Sepulcri Dominici humilis Magisterii Locumtenens, et Nos Commendatarii et Fratres Venerandum Concilium in Domino celebrantes.

Nobili Adamo Comiti de Mniszek nobis dilecto, salutem in domino sempiternam

Generosa tua Nobilitas, morum suavitas, tuique erga Ordinem nostrum animi propensio, ac devotio, quibus apud Nos summopere commendaris, Nos hortantur, ut ornatissimam personam tuam, singulari benevolentiae significatione complectamur. Votis itaque tuis, praecibusque pro parte tua nobis porrectis, libenti animo annuentes, ac attenta solutione passagii pro receptione militum majoris aetatis praescripti, de nostra certa scientia, tenore praesentium, tibi, ut Crucem auream ad figuram habitus Ordinis nostri formatam, devotionis causa, gestare et deferre valeas indulgemus, plenamque licentiam et facultatem concedimus et elargimur. Ea tamen adjecta lege, quod si Uxorem habeas, vel duxeris, propria conditione, inferiorem, praesens gratia, nulla, ipso facto intelligatur. Teque omnibus indulgentiis, et gratiis spiritualibus quibus, vigore privilegiorum nostrorum, a sacrosancta Sede Apostolica Nobis, et Ordini nostro concessorum, fratres nostri, aliique Ordini nostro addicti utuntur, fruuntur, et gaudent, uti, frui, et gaudere decernimus, et declaramus: nec non omnium Missarum, orationum, piorumque Hospitalis et Militiae pro Catholicae fidei tuitione, operum, quae in dies a fratribus nostris, terra, marique (Deo largiente) fiunt, participem in Domino facimus, et omni meliori modo esse volumus. Dummodo quod praesentes nostras concessionis, declarationis, et partecipationis litteras, registrari facias in actis Archivii Ven.di Nostri Prioratus Bohemiae.

Praecipientes universis et singulis dictae Domus nostrae fratribus, quacumque auctoritate, dignitate, officioque fungentibus praesentibus, et futuris, in virtute sanctae obedientiae, ne contra easdem aliquatenus facere, vel venire praesumant, sed eas, studeant inviolabiliter observare.

In cujus rei testimonium Bulla nostra Communis plumbea praesentibus est appensa. Datum Ferrariae in Conventu nostro die Sexta Mensis Martii anno Millesimo octingentesimo vigesimo octavo, ab Incarnatione juxta stylum nostrae Cancellariae secundum vero cursum ordinarium 1829.

Reg.ta in Cancell.ria Comm.us frater Amabilis Vella Vicecancell.us



N: Reg: 1048.

Frater Antonius Busca

Armeniae Bajulivus, Sacrae Domus Hospitalis, Sancti Joannis Hierosolimitani et Militaris Ordinis S.ti Sepulcri Dominici humilis Magisterii Locumtenens, et Nos Commendatarii et Fratres Venerandum Concilium in Domino celebrantes. ——

Nobili Adamo Comiti de Mniszek nobis dilecto, salutem in domino sempiternam ——

Generosa tua Nobilitas, morum suavitas, tuique erga Ordinem nostrum animi propensio, ac devotio, quibus apud Nos summopere commendaris, Nos hortantur, ut ornatissimam personam tuam, singulari benevolentiae significatione complectamur. Votis itaque tuis, precibusque pro parte tua nobis porrectis, libenti animo annuentes, ac attenta solutione passagii pro receptione militum majoris aetatis praescripti, de nostra certa scientia, tenore praesentium, tibi, ut Crucem auream ad figuram habitus Ordinis nostri formatam, devotionis causa, gestare et deferre valeas indulgemus, plenamque licentiam et facultatem concedimus et elargimur. Ea tamen adjecta lege, quod si Uxorem habeas, vel duxeris, propria conditione, inferiorem, praesens gratia, nulla, ipso facto intelligatur. Teque omnibus indulgentiis, et gratiis spiritualibus quibus, vigore privilegiorum nostrorum, a sacrosancta Sede Apostolica Nobis, et Ordini nostro concessorum, fratres nostri, aliique Ordini nostro addicti utuntur, fruuntur, et gaudent, uti, frui, et gaudere decernimus, et declaramus: nec non omnium Missarum, orationum, piorumque Hospitalis et Militiae pro Catholicae fidei tuitione, operum, quae in dies a fratribus nostris, terra, marique (Deo largiente) fiunt, participem in Domino facimus, et omni meliori modo esse volumus. Dummodo quod praesentes nostras concessionis, declarationis, et participationis litteras, registrari facias in actis Archivii Vend: Nostri Prioratus Bohemiae. ——

Praecipientes universis et singulis dictae Domus nostrae fratribus, quacumque auctoritate, dignitate, officioque fungentibus praesentibus, et futuris, in virtute sanctae obedientiae, ne contra easdem aliquatenus facere, vel venire praesumant, sed eas, studeant inviolabiliter observare. ——

In cujus rei testimonium Bulla nostra Communis plumbea praesentibus est appensa. Datum Ferrariae in Conventu nostro die Sexta Mensis Martii anno Millesimo octingentesimo vigesimo octavo, ab Incarnatione juxta stylum nostrae Cancellariae secundum vero cursum ordinarium 1829. ——

Comm.d.r Fr. Alexander Borgia
Vend.i Magni Cancell.rii Locumt.s

1829

Facultas
gestandi Crucem Auream
dev: Causa)
pro
N[ble] Adamo Com: de Mniszek

Praesentem bullam in actis archivii Magni Prioratus Boemiae
Ordinis S[ti] Joannis hierosoli registratam esse, hisce testor et Sigilli ejusdem
Prioratus appositione Corroboro. Viennae die 14[a] Martii 1829.

Theod[us] Jos[us] Eques a Neuhaus, eques
honorarius et Consiliarius Legationis Negotia
Ord[is] gerens apud aulam Caes[ae] reg[ae] apl[cae] etc.